



Iohannes in pago Schuartzach iuxta Badenae Marchionum natus est anno circiter 1460. Hic ut commodius pietati & literis operam dare posset, iuxta eius seculi morem Schuartzachense monasterium intrauit, ac Benedictinorū ordinem suscepit. Erat monasterium illud olim à Ruthardo comite et Hirminifunda uxore comitibus Alemaniae in pago Alsatiae fundatum, & in loco Arnolffisauri collocatum, primo ibi abbate existente Agoaldo uiro pio & docto, anno 714. quod factum Pipinus rex probauit & commēdauit. Postea uerò circa annum Christi 845 Guido abbas cum Bertholdo p̄sule Argentinensi monasterium illud trans Rhenum trāstulit,

ut in Germania & terra Salica esset, Ludouico Pio Cæsare existente. Ea regionum erat sub comite Erchengario, qui eum locum à nigro monachorum habitu Schuartzach appellauit. Erat monasterium in diocœssi Argentinensi, uerū ius patronatus ad Spirensē Ecclesiam pertinebat, quo tamen postea liberatū fuit. Cum in eo loco monachi piē uiuerent, Ludouicus pius & sequentes Cæsares plurimūm dotarunt, & immunitatibus decorarunt. Ea Rhodolphus Habspurgensis & Fridericus 3 Cæsares cum uicinis Marchionibus approbarunt & confirmarunt, id quod ex ipsis Diplomātibus oblatis intellexi. In eo ergo loco cum Ioannes doctrina & pietate reliquos superaret, anno 1487 Abbas electus fuit. Itaque monasterium, antecessorum negligentia fere perditum, restituit, æs alienum redemit, & cum finitimis amicitiam coluit, ita ut passim in magna existimatione & Cæsari Maximiliano gratissimus esset. Tandem uiuendo fessus anno 1514 obiit, & in suo monasterio honestē sepultus fuit. Anon.